

**Disputatio medica inauguralis, de vomitu ... / ex auctoritate ... Joannis
Ortwini Westenbergii ... pro gradu doctoratus ... eruditorum examini
submittit Gideon Wells ... Ad diem 10. Aprilis, 1725.**

Contributors

Wells, Gideon.
Westenberg, Joannes Ortwin.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugd. Batav : Apud Henricum Mulhovium, [1725]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bmcxav35>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VOMITU.

Qua M,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,
J. U. D. ET JURIS CIVILIS ROMANI AC HODIERNI IN
ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ANTECESSORIS
ORDINARI:

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum Examini submititur.

GIDEON WELLS, Anglo - Britannus.

Ad diem 10. Aprilis, 1725. horâ locisque solis.



DISPUTATIO MEDICO- LITERARIA IN DOCTORIA

UTIMOV

ANNUNTE DEO TERRA MAX

Ex anno millesimo octavo regni

D. IOANNIS ORTMINI WESTENERGII
IUD ET IURIS CIVILIS ROMANI AC HODIRUM IN
ACADEMIA LEGENDINO-BATAVIA ANTICESSORIS
ORDINARI

NEC NOM

VERBI SENSU SENTIENDO ACADEMICI CONSENSU
ET NOTABILIS FACULTATIS MEDICE DEGRETO
PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISSUS IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSECRUNDIS
Expositio et Examen

GIDEON WELLS, Agoio - Batavae

Ad annos 10. quattuor, 12. secundum regulam



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VOMITU.

I.

Vedecina ut apud Veteres olim, & Recentes hodie culta, præcipua fundamenta ab Eventu haud præviso; Casu fortuito; & Instinctu naturali recepit; sub capite hoc postremo inter multa alia continetur Vomitus. Qui cum tantos edit Effectus in Corpore humano; ad hunc considerandum meipsum instruendi causâ pro Penso Academicō accingere simpliciter aggrediar.

II.

Actio Vomitus est Expulsio per Oesophagum contentorum ventriculi primò, dein etiam Intestinis, tandem Visceribus, eò se evacuantibus.

A 2

III.

III.

Ventriculus est vas illud capax, oblongè rotundum, sub Diaphragmate sinistrorum posatum, constans ex Membranis Villosois, Nervosis, Glandulosis, Muscularibus, Cellulosis, Vasculariis, & ex Expansione a Peritonæo.

Fibræ musculares sunt ⁽¹⁾ *Spirales*; ⁽²⁾ *Obliquæ*; ⁽³⁾ *Longitudinales*; hæ Posterores series habent duas, quarum Una ex illis constat Fibris, quæ Pylorum amplectentes, per Dorsum Ventriculi unitæ, Os superius Ventriculi circumambientes, vacui Ventriculi Ora adducunt, pleni verò necessario valde coarctant.

Fibrarum altera ⁽⁴⁾ series conficitur ex illis, quæ duæ longitudini Ventriculi parallelo, Partem Tunicae Vascularis concavam constituunt.

IV.

A Latere Ventriculi sinistro oritur Oesophagus, longus ille Canalis substantiam habens ferè eandem cum Ventriculo; statim ab Origine transit per Diaphragma, & dum transit cum illo concrescit: a Diaphragmate emergens Tramite continuato, paululum ⁽⁵⁾ curvo tandem intra Fauces terminatur.

V.

A Latere dextro exit Pylorus, crassior quam reliquum.

(1.) Willis Pharmaceut. Rat. T. 3.

(2.) Id. Ib. T. 5.

(3.)

(4.) Id. Ib. T. 2.

(5.) Reald. Columb. de Re Anatomi. p. 416.

quum Ventriculi: Ventriculo vacuo sursum erectus, pleno tamen magis tendens deorsum; Ventriculo vacuo retroflexus, pleno tamen, cum Decursu ferè recto recipit Duodenum quasi illi⁽¹⁾ immissum, hæc Immissio, illa Crassities, & superdicta Circumductio Fibrarum longitudinalium, faciunt illud, quod Anatomici solent appellare Valvulam Pylori.

V I.

Duodenum cum Pyloro sic communicans, totius Fistulæ intestinalis est Principium, in substantiâ Ventriculo simillimæ: In Parte inferiore nunc in uno nunc in duobus Locis perforatur, pro Choledochi, atque Ductûs Pancreatici Introitu. sed præter hæc Foramina, tota series Intestinorum; Ventriculus; Oesophagus; Fauces; & Os, millia habent Oscularum, Liquorem Aquosum, Mucosum, Glutinosum, expuentium, exhalantium, ex Glandulis, & Finibus Arteriarum.

V I I.

(²) Nervi, quos accipit Ventriculus a Parè Vago & Intercostali oriuntur.

V I I I.

Viscera & Partes adjacentes sunt *Diaphragma* quod superincubit toti Ventriculi Parti superiori, super Diaphragma in Thorace sunt *Pulmones* in illud semper:

(1.) Cl. Boerhav. Institut. Med. §. 83.
(2.) Vieussens. Neurograph. Univers. T. xxiiii.

per prementes. In Hypochondrio dextro. *Hepar* præcipuè locatum, cum (^{1.}) crassiori suâ Parte totum illud spatum occupat; cum tenuiori se inter Diaphragma, & Ventriculum insinuans, Diaphragmati agenti speciem quasi Pulvinaris præbet.

Sinistrum Hypochondrium replens Ventriculo artissimè connexus hæret² *Lien*.

Ventriculum infra, jacent *Pancreas Omentum, Intestina, Mesenterium &c.* Parte Ventriculi anteriori sunt *Musculi Abdominales*, & in Posteriori sunt *Vertebrae*.

I X.

Ab Abdomine sic fabrefacto, sic repleto, necesse est ut in omni Puncto Ventriculus contactum cum vicinis habebit.

X.

Ventriculo sic structo, sic locato, si vel ille ipse, sive Diaphragma, sive Musculi Abdominales spasmo corripiantur, necesse est Ventriculum pati diminutionem Capacitatis, sed hæc diminutio fieri non potest absque Expulsione plus minus suorum contentorum, (i.e.) quoad Gradum Convulsionis erit vel Vomitus, vel Ructus, vel Singultus.

X I.

Parte quilibet jam sic descriptâ quæ ullo modo potest

(1.) Vesal. Op. omn. Edit. Nov. Tom. i. p. 355.

(2.) Eustach. Tab. x. F. 2.

poteſt ad hanc Actionem pertinere, proximè erit ag-
grediendum demonstrare quantum poſſumus, quā or-
dine, & quomodo hoc Phœnomenon peragitur.

XII.

Illud igitur quod sentit Vomituriens an ab Arte, an Naturā (nisi in Casibus maxime violentis) est primò Molestia quædam inusitata circa Epigastrium, in Princípio vix multum notabilis; sed crescens pedetentim illum postea infert sensum quem Ægritudinem Vocamus, cum Pallore Faciei, Fluxu Salivæ, Nauseâ, Rustib⁹ aliquando, & Singultu. Usque dum denique Re ulterius ulteriusque proiecta Ventriculus Spasmo paululum fortiori convelli incipit; & tunc forte, si Causa irritans non sit nisi leviuscula, sequetur Contenitorum lenis Expulsio, eaque solā Vi ipsius Ventriculi, quo peracto res erit finita. Sed si causa stimulans admodum fuerit acris, locò hic cessandi ulterius adhuc progredietur, & Diaphragma in Consensum provocabit; quo cum Ventriculo per Oesophagum adeo arctè connexo, non potest quin ab illo sic affecto in seipso accipiat tales Vellicationes, Tremores, vel talē determinatum Gradum Motūs (vel quodvis aliud Nomen huic affectui licet dare) ut eo Spiritus Animales Copiā multò quam solitō abundantiori, huc accessentur.

Diaphragmate sic convulso, & parte suâ superiore cum Pleurâ communicante, & hâc iterum cum musculis intercostalibus, eodem momento quo convulsit illud, convulsos etiam Musculos intercostales videbimus. Sed hæc in illis convulsio etiam potest

oriri mediante nervo intercostali, qui (ut diximus) dat Ramos Ventriculo.

Thorace ampliato partim in hunc modum, partim a Naturæ Motu spontaneo, (ut semper in aliquo magnum nixum edituro observatur) Aer ingenti cum impetu copiâque ruit in Vacuas Pulmonum Cavitates, illasque quam maxime distendit, quo fit ut Vis fere immensa Vim Diaphragmatis augeat.

Ut Diaphragma Parte in superiori cum Pleurâ ita Parte in inferiori Peritonæo est obductum, quo etiam Musculis extenso Abdominis idem facilè in illis ac in Musculis Costarum sentitur Stimulus, spasmusque idem in illis excitatur.

X I I I.

Vires hæ omnes immanes, uno eodemque ipsissimo momento validissimè agentes, Viscera omnia Abdominis vehementer prement, Fistulam intestinalem, & Jecur praecipue contrà hanc Fistulam adeo arctè compriment, ut ferè Pylorus omnino futurus sit clausus, sed in Ventriculi Contenta (si satis copiosa) magis illis exposita, adeo undique agent, reagentque ut amplius morari non potentia, omnia cum Impetu foras ejificantur, idque per Oesophagum, cuius Orificium tunc Temporis satis amplè patefacit, propterea quod ut satis innotescit, Oesophagus post Ortum a Ventriculo statim transiens per Diaphragma cingitur Fibris Muscularibus Diaphragmatis undique illi insertis; quæ quando contrahunt quasi tot Chordæ sibi invicem contrariæ, a Centro undique trahentes debent latera Oesophagi distrahere: (ie) superius Os Ventriculi aperire debent.

X I V.

INAUGURALIS.

XIV.

Vi stimuli vomitorii, per Ejectiones repetitas gradatim debilitatâ, tandem definit perinde ac incipiebat, cum ructu scilicet & singultu.

XV.

Ab his omnibus sic descriptis, facile indigitatur Ratio cur Vomitus melius, tutiusque est peractus, quando Ventriculus modicè est distentus. Nam quo magis, cæteris paribus moles ulla movenda, est exposita Vi moventi, eò facilius moles ista movebitur. In actione Vomitus, Vires moventes sunt a Pulmonibus, Diaphragmate, Musculis Abdominalibus, & ipso Ventriculo, Materies in Ventriculo contenta, est moles movenda.

Ergo quo magis Materies ista Actioni supradictorum est exposita, eò facilius actione istâ amovebitur; sed quo magis ista Materies Ventriculum distendit, eò magis erit exposita Actioni isti, ergò quo magis distendit Ventriculum eo facilius (cæt. par.) amovebitur.

(*Cæteris Paribus*,) dico, quia si Ventriculus nimiùm sit distentus auxiliandi locò impediet quam maximè. Nam tunc Fibræ musculares Ventriculi non solummodo erunt extra suas Elasticitates distentæ, Sed etiam a peculiari harum Decursu ac Mechanismo [II] Orificia Ventriculi pro ratione excensûs Repletionis adeò valide coarctabuntur, ut tandem fuerit impossibile illa iterum aperire; Sed citius quam ut aperiantur diffringetur vel ipse Ventriculus, vel ipse (¹) Oesophagus.

XVI.

(1.) Cl. Boerhaave Histor. Atroc. Morb.

DISPUTATIO MEDICA

X V I.

Hinc videmus quam maximè errant Illi, qui in vomitoriis administrandis, inter operandum dant bibendum vel nimis parcè, vel copias extra Mensuram una vice ingurgitant. hi Vitæ agunt Periculum, illi Vomitum reddunt nimis laboriosum.

X V I I.

Hisce sic finitis nunc dicendum erit, de Vomitū Actionis Causis.

Causa hujus Actionis proxima, nil aliud est nisi ipse Vomitus, a remotis suis propriis causis excitatus.

Causæ remotæ sunt quæcunque possunt determinare majorem quantitatē Spirituum quam solito in Instrumenta muscularia supermemorata.

X V I I I.

Hæ sunt infinitæ ergò ut omnes sint numerandæ non est exspectandum. Attamen quum aliquid dicere omnino convenit, sequens methodus illas primò dividendi in *internas & externas* satis bene observetur.

X I X.

Causæ Internæ respiciunt, *Primò* ad Ventriculi Struturam quam similem habet omnibus aliis Partibus (scil.) ex Arteriis, Venis & Nervis. *Secundò* ad illius usum (i.e.) ut Vas est recipiens & iterum dimittens. *Tertiò* ad illius Connexionem cum Partibus circumjacentibus.

Ad

Ad Numerum primum pertinent Inflammationes, Suppurationes, Gangrænæ, Sphacelus, Schirrus, Fungus, Ulcus, Spasmus, Debilitas. Mirum fortè non cogitanti videbitur, quod inter Causas Actionis totius Corporis validissimæ, Debilitas etiam enumeratur. attamen ut Res ita se habet, non tantum probet Experientia satis frequens, quin id etiam Ratio facilimè assequitur, ut credo, sic concipiatur; quo debilior est ulla Pars eò (cæteris paribus) tenerior, sed quo tenuior, eò magis nervosa, & quo magis nervosa eò magis sensilis, & faciliùs irritanda.

Ad Numerum secundum pertinent Pylori obstructio a Callo, Cartilagine, Tumoribus steatomatosis, Ingestis irresolubilibus, qualia sunt frustula metalli, lactis caseosi, &c. Ut (1) Kerkringius cum aliis observavit. Sanguinis in Ventriculo Extravasatio; Materies quædam viscida ibi fluctuans; Pharmaca ingesta, & denique defectus Muci istius ad *Tunicam villosam* illinendam parati.

Ad Numernum tertium reducuntur 1°. mala Hepatis, Tumor, Durities, Callus, &c. 2°. Mala Diaphragmatis. 3°. Pancreatis, Tumor, Schirrus, Cancer; 4°. Lienis Tumores magni; 5°. Intestinorum Inflammatio, Inversio, Flatus, Fæcum Induratio præcipue in Colo: 6°. Renum, & Vesicæ Calculi, Inflammationes, Ulcera &c. huc etiam reducantur Capitis variè affecti mala, Sanguinis intra Cranium Extravasatio, Cerebri Læsiones compressione, Corrofione.

XXI.

(1.) Observat. Anatom. I. X. L.

B. 2

XXI.

Quoad Causas externas. hæc omnes commodè referantur ad Coporis varia Gesta. ad hæc gesta referuntur 1°. Lapsus in Cranium, illius Percussiones, & Mala inde sequentia. 2°. Percussiones & Compressiones Abdominis violentæ. 3°. Coporis illi motus qui Circumgyratione constant per Vices aliquot continuatâ. 4°. Illi Motus qui partes Circuli nunc majores nunc minores describunt; quales sunt in Rhædâ laxè pendenti, vel in Nave agitatâ Mare concussiones. Unicus forsitan qui hâc de re aliquid intelligenter scripsit fuit eruditiss. noster D. CHEYNE, qui in suâ *Novâ Theoriâ Febrium continuaruum*, hujusmodi Vomitûs explicaturus, sic habet.

Corpus quodlibet particulare Gradum Tensionis determinatum habet. Et si similis Motus Reciprocatio (*a Causâ quâcunque*) in medio ambienti producatur, quæ necessario esset producta per aliud Corpus movens, quod Corpus haberet Gradum Tensionis, Longitudinisque priori Corpori æqualem, necesse erit ut in illo priori Corpore motus quidam producetur, præcipue si Motus medii sit violentus.

His Verbis, & aliis Vir ille ingeniosus probare tentat, quod motus quidam in hunc modum a Navis motu, vel Rhedæ produci potest in Ventriculi nostri Fibrillis; & quod hic Motus in illis sic productus, potest spasmus excitare.

XXII.

Ut motus est quidam reciprocus inter quædam Corpora [ita ut uno percusso alterum statim moveatur] mille

mille patet exemplis ex responsione Chordarum musicarum , ex Echo &c. & si conceditur ut motus quidam in hunc modum produci possit in Ventriculo, vel partibus Ventriculo communicantibus a Navis vel Rhædæ concussione ut verisimillimum est ; apparebit satis facile quomodo ab eo Vomitus oriri potest : Nam quid est stimulus vomitorius, nisi Vis quædam (aliquando nec corrodens, nec pungens) Vomitū Instrumentis applicata, cum motu quodam determinato ? si igitur Motus huic similis a quâcunque Causâ in iisdem Partibus excitetur, cur non debent sequi in hoc casu , ac in illo, iisdem Effectus?

XXXIII.

Verbum unum vel alterum nunc dabimus de Effectibus quos in Corpore humano edit Vomitus.

XXXIV.

Primum quod occurrit est omnium Ventriculi contentorum Ejectio.

2°. Glandularum, Cryptarum, Pororum, & Vasorum, intra Ventriculi, Intestinorum, Oesophagi Fau- cium, Narium, atque Palpebrarum Cavitatem aperientium, emunctio, & detercio.

3°. Si aliquid est vel in Ventriculo, vel Intestinis, vasa vel inhalantia , vel lactea intrandi capax , a Vi hac ingenti undiquaque prementi intrare cogetur.

4°. Chylus per vasa lactea , glandulasque Mesenterii vagas , ob hanc Pressionem adeò auctam magis permistus; comminutus; assimilatus; in Receptaculum ut vocatur *Pecqueti* , celerius veniet.

5°. Ab hoc Receptaculo, immensæ nunc Diaphragmatis actioni adeò obvie exposito, Chylus ille sic commi-

nutus &c. per Ductum Thoracicum ad Venam subclaviam validissimè urgebitur.

6°. A Venâ subclaviâ ad Pulmones tandem pulso, quam magnas conquassationes, subactiones, comminutiones hoc tempore in hoc Loco debet pati? quùm usque in communis Respirationis actione, vis hujuscē Visceris est fere incredibilis, ut à Clar. D. WINTRINGER in Libro suo de Morbis Contagiosis, planè demonstratur. (1)

7°. A Visceribus in Abdomine omnibus contra Aeram ascendentem prementibus, sanguis per illam non ità liberè fluet; sed quò copiâ minori huc propellitur, eò abundantius ad Cerebrum tendet. Et cum secretio quælibet (cæt. par.) semper est ut Quantitas Fluidi ad orificium secretorum appulsi, necesse est ut in Vomitus actione, major Spirituum quantitas secernatur.

8°. A Partium ferè omnium Corporis per Nervos, Membranasque inter se communicatione, omnes ferè reliquæ Partes utcunque concutientur: ab universâ hâc concussione Iter sanguinis venosi promovebitur, Vasa plena Materie saburrosâ deopplentur, Humores lentescentes solventur, Lympha inter musculos stagnans repelletur; ut in curatione Hydropum hâc methodo fæpiissime observatur; & sudores denique per totum Corpus profusissimè erumpent.

X X V.

Parte qualibet Corporis in hac actione sic quasi Pulmonis fortiter respirantis officio fungenti, Chylo subacto, celerius moto, Sanguine facilius quasi confecto, Spiritibus copiosius secretis, Humoribus lentis spirituosis reddi-

(1.) P. 34. 35. 61. 62. 63.

redditis; Circuitu humorum aucto, Obstructionibus amotis, Glandulis emunctis; non mirum est si semper Hominem videamus ab operatione Vomitorii, mitioris majori cum alacritate surgentem, Viribusque refectum: hinc sit proculdubio, ut in *Hildano* legimus, de Matronâ quâdam per multos annos, ferè omne quod assumpsit pluries quotidiè revomitanti, absque vel minimo danno vel Corporis, vel Faciei, vel mentis Hilaritatis; sed quod hic observari debet vomere nunquam potuit, nisi prius haustulum jusculi alicujus sumpsisset. Ab hoc casu, illud quod supra est memoratum, confirmari videotur scil. quod in Vomitûs actione, tanta fit contentorum Ventriculi attritio, commotio, & undiquaque propulsio, ut partes nonnullæ reddi possint adeo subtiles, ut in Vasa absorbentia adigi queant.

XXVI.

Huc usque Vomitum, quatenus utiles admodum Effe-ctus præstat, consideravimus. Si verò à Causâ nimium pertinaci, vel morbosâ vel artificiali oriatur, dira & horren-da sæpe succedunt Phænomena; Ventriculi nempè aut Oesophagi ruptura (¹) inflammatio, gangræna, vel sphacelus; Plicarum ventriculi abolitio; ejus Paralyfis, aut (²) Sanguinis in eum profluvium, vel per Anastomosin, vel Diapedesin; Quandoque ipsius Ventriculi in Thoracis cavitatem (³) propulsio; sæpissimè debilitas totius Corporis vix sustinenda.

(1.) Clariss. Boerh. Histor. Morb. Atroc. Bonet. Sepul. Anat. L. 3.
S. 8. Obs. 14.

(2.) Glissonius de Ventriculo & Intestinis.

(3.) Bon. Id. Ib. S. 7. Obs. 27.

XXVII.

XXVII.

Ex præmissis facilè intelligitur, in quibus morbis Vomitus arte excitatus, conveniat. viz.

Primò, Quandocunque materies aliqua morbosa sive viscida sive acris fuerit, in Ventriculo latitat: hinc sit quod nostras SYDENHAMUS adeò sollicitè in Febrium principiis hoc medicamentum (¹) adhibuerit; *cum scil. aliqua Vomendi esset propensio*: hinc etiam (²) CELSUS latinus ille Hippocrates, illius usum commendat *in plenis & biliosis, si vel nimium se replerunt, vel parùm concoixerint*. hinc etiam HIPPOCRATES (³) medicinæ fundator & princeps, *Ubi non febricitanti, Cibi fastidium, oris Ventriculi morsus, Vertigo tenebrosa & oris Amarities adsint; Purgatione per superna opus esse significat*. in similibus Casibus usum Vomitū frequentem commendat GALENUS (⁴) *ut Pituita omnis e corpore purgaretur*: Et ut paucis dicam, in Cholerā morbo, in Colicis doloribus, a Fructibus horæis, vel Cibo quoquaque δυσπίπτω, oriundis; in quibusdam, Diarrhæarum, & Dysenteriarum speciebus &c. fælicissimè hujuscē usus a Medicis præscriptus fuit.

XXVIII.

Secundò, cum obstructiones, tumoresve lentescentes, in Corporis habitu, in Visceribus, aut Glandulis adsint; quo Humores stagnantes, in motum deducantur, vel a Partibus quos lèdent, revellantur. hinc *in Ictero ab infarctu per materiem glutinosam, opus est Vomitu* dicit

(1.) Observ. Med. p. 24.

(2.) De Medecina p. 29.

(3.) Aphor. 4. 17.

(4.) Epitome Operum.

dicit Pitcarnius (¹) quo *Hepar & meatus fellei, ventriculi, & Abdominis compressione, materiem obstruentem excernere cogantur.* Immò mihi ipsi semel contigit vidisse hominem, Hepate tumido, Ictero, & Hydrope Anarcā, eodem tempore ægrotantem, ope Emetici idoneè exhibiti, uno fere momento quasi per Incantamentum quoddam omnino liberatum. Ita in obstructionibus glandularum Mesentericorum ferè unicum est remedium. Ita etiam *Coxarum Dolores, & Oedemata sæpius expugnat aliis frustra diuque tentatis revellentibus ut testatur Clar. D. FREIND.* Qualem Vim habet revellentem in bubonibus Venereis, & tumidis Testiculis ab omnibus cognoscitur. In Epilepsiis, Cephalalgiis, Aurium sonitu, Apoplexiis a materie pituitosâ, apud plurimos commendatur, & certè magni est Usus. In Pulmonum infarctionibus viscidis; in Rachitide & Desipientiâ Puerorum, vix unquam etiam omitti debet.

XXIX.

Tertiò ubi *Salivatio vel sudores* sunt promovendi. Ita in *Variolis confluentibus*, cum diem circà undecimum, ut narrat SYDENHAMUS (²) *Saliva eo usque excocta sit & viscida*, ut Æger singulis momentis suffocatione periclitetur, stupore sit obrutus, spiritu fere undiquaque præcluso, emeticum peropportune ac fæliciter exhibui, ex infusione Croci Metallorum, sed Dosi paulo majori. Ad Salivationem adjuvandam in Lue veneriæ curatione, Turbethi mineralis administratio, in Praxi est quotidiana.

Qua-

(1.) Vid. Pitcarn. Element. Med. p. 166. Sydenh. Id. Ib. p. 178.
185.

(a.) Id. Ib. p. 155.

16 DISPUTATIO MEDICA INAUG.

Quatenus sudores mouet, sub Initiis Febrium ut Clariſſ. D. FREIND. Observat, hac evacuandi Ratione, non modo primæ purgantur Viæ, crudæque materiae Redundantia compescitur, sed cum viscera museulique Corporis, vehementiori motu agitentur, ipsæque Medicamenti particulæ in sanguinem sese insinuant; ita demum resolvuntur Humores, ut liberior fit intra Vasa tenuia Circuitus; & si quid superfluum est per Meatus cuticulares diffluat; hinc fit quod in Curatione Febrium intermittentium tanti valet.

X X X.

Quarto. Ubi Apostemata in Pulmonibus suppurantia adsunt, & Materies cocta & excretioni apta, redditur: Quo faciliter ad exteriora per Asperam Arteriam determinetur, ne in Pulmone moras agendo, vel ægrum suffocet; vel partes circumiacentes corrumpendo, Empyema producat: Et ut uno Verbo addam, in omni ferè Morbo ubi nimis languescit circulatio, lentescunt Humores, & Solida sunt corroboranda, proficuè satis hocce Remedium adhiberi potest.

Ex præmissis sequitur quod nullum universale sit, ad Vomitum morbosum sistendum, Remedium. Sed pro natura causæ, Curatio variari debet.

F I N I S.